



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De triplici modo diligendi Deum, 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

quo modo, imo quam sine modo, à me
creatura tua amari merueris, qui prior di-
lexisti me, tantus & tantum & gratis, tantil-
lum & talem & ingratum. Scio Domine,
quod dilectio tua tendit in immensum & in
infinitum, quia tu immensus es & infinitus.

3. Quæso igitur Domine, qualis finis de-
bet esse mei, vel modus amoris? Amor enim
meus Domine non est gratuitus, sed repen-
ditur debitus. O clementissime Domine Iesu
Christe, amicos tuos vivificans amore, ex-
tende ad me peccatorem miserabilem tuam
exuberantem dilectionem; ut te diligam pro
dono tuo & modo meo minus quam justo.
Nam etsi quantum debeo, non possum; non
possum tamen ultra, quam possum. Potero
autem plus, cum plus donare dignaberis,
nunquam tamen prout dignus haberis. Da
igitur mihi tuum amantissimum amorem,
quo te donante, te diligam & amem; tibi
placeam, tibi serviam, tua præcepta adim-
pleam: à te non separer in præsenti & in fu-
turo, sed tecum maneam agglutinatus amore
in sempiternum.

C A P V T XI.

De triplici modo diligendi Deum.

I. **O** Immensitas amoris, dulcissime Do-
mine Iesu Christe, doce me quemad-
modum diligam te. Fac mecum tuam misé-
ricordiam, ut te amem dulciter, prudenter,
fortiter. Dulciter, ne amaritudine avertar;
prudenter, ne decipiatur; fortiter, ne oppri-
mar, aut ab amore tuo ullo modo, sive mun-
di

di gloria , sive carnis illecebris aut voluptatis
bus , abducatur. Informe me Domine , tu qui
sapientia es , ne seducar spiritu mendacii &
erroris. Lucecas in me tu , qui es veritas ,
ne adversitatibus & scandalis offendar. Con-
forta me tu , qui es virtus , ne deficiam in
tuo servitio. Zelum meum inflammet cha-
ritas tua , tua scientia cognitionem meam
dirigat , & constantia tua propositum bo-
num firnet ; ut predictis munitus , sim in
tuo amore fervidus , circumspectus , & in-
victus : ne te porem habeam , ne caream
discretione , & ne timidus efficiar ; sed di-
ligam te Deum meum toto & pleno cordis
affectu. Diligam te tota rationis vigilantia
& circumspectione : Diligam te tota vir-
tute , adeo ut nec mori pro tuo amore perti-
mescam.

2. Sis suavis & dulcis Domine affectui
meo , contra fallaces & male dulces vita car-
nalis illecebras ; & vincat falsam dulcedinem
dulcedo tua vera , quemadmodum clavum
clavus extrudit : & sis intellectui prævia lux ,
& lux rationi ; non solum ad cavendas
hæreticæ fraudis decipulas , & ab eorum ver-
sutiis fidei veritatem vindicandam ; verum
etiam ut nimiam & indiscretam vehemen-
tiam in mea conversatione devitem : Tu
namque Domine sapientia es , & vis amari
non solum dulciter , sed & sapienter : alio-
qui facilime zelo meo spiritus illudet erro-
ris , si scientiam negligam. Scio namque
Domine , quod non habet callidus hostis
machinamentum ullum efficacius ad tollen-

dum de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute & sine ratione ambulem.

3. Domine Iesu Christe, amantium fortitudo, robur & firmamentum, sim fortis & constans ad te amandum; non cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Diligam te Domine fortitudo mea, quia tu es firmamentum meum & refugium meum, liberator meus, Dens meus, adjutor meus; amor æternus, amor supereminens; amor, cuius magnitudinis non est finis; amor, cuius sapientiae non est numerus; amor, cuius pax exuperat omnem sensum. Diligam te non verbo solum ac lingua, sed opere & veritate. Ut tua gratia in præsenti suffultus, in fine ad amantium gloriam, te misericorditer donante, perveniam sempiternam, Amen.

C A P V T XII.

Quid sit diligere Deum ex toto corde.

1. **T**oto corde te diligere (clementissime Domine Iesu Christe) immensitudo amoris est, non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi injuriis; sed integre te sic diligere ex toto corde, ut ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur, quam ad te; nec delectetur in aliqua re magis, quam in te. Minus enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. Totum namque exigis, qui totum hominem fecisti. Diligi enim debes Domine ex toto corde, ratione & creationis, & recreationis. Quia enim hominem fecisti, debet seipsum amori